





DISPV TATIONEM  
IVRIDICAM  
DE  
RETENTIONE VSVS  
FRVCTVS EIVSQVE  
EFFECTV,  
MAGNIF. ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E  
ANDREA FLORENTE RIVINO  
PHILOS. ET J.V. DOCT.  
P VBLICAЕ DISQVISITIONI SVBIICIT  
AVCTOR RESPONDENS  
IO. GOTTFRIED NEVMANN  
MARTISBURGENSIS.

D. XVII. AVGVSTI cIo Io cc XXX. H. L. Q. C.

---

LIPSIAE  
LITERIS BREITKOPFIANIS.

1730-29  
7



SVMME REVERENDO  
PER - ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
LVDOVICO ADOLPHO  
SACR. ROM. IMP.  
BANDERESIO ET LIBERO BARONI  
DE ZECH  
DYNASTÆ IN BÜNDORFF &c.  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONIA-  
RVM REGIS AC ELECTORIS SAX.  
ET  
REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI  
DVCIS SAXO-MARTISBURGICI  
A  
CONSILIIS SANCTIORIBVS  
REVER. CAPITVL  
ECCLESIAE CATHEDRALIS MARTIS  
PRAEPOSITO  
RELIQVA  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

EXIGVAS HAS  
DISPV TATIONIS IVRIDICAE  
PAGELLAS  
IN SVI COMMENDATIONEM

ET  
QVALECVNQVE DEVOTISSIMAE  
OBSERVANTIAE MONVMNTVM

CVM  
VOTO ARDENTISSIMO  
PRO  
FELICITATE PERRENNI SACRAS  
ESSE CVPIT

HVMILLIMEQVE OFFERT

IO. GOTTFRIED NEVMANN.

# CONSPECTVS DISPV TATIONIS.

§. I. *Vsusfructus* consideratur vel ut dominii pars, vel ut seruitutis, *Vsusfructus* & retentionis definitio. §. II. *Vsusfructus* constituitur pactionibus & Stipulationibus, at sequente quasi traditione. *Quid obtineat, si quis, dum in alterum transfert proprietatem, sibi retineat usumfructum?* Retentio *vsusfructus* habetur pro traditione. *Quid tempore Honorii & Theodosii, quid primum, quid postea? quid tempore Iustiniani.* Hæc Materia a Ger. Noodt in duobus libris de *vusufructu* plane prætermissa est. §. III. Azo notatus. Retentio *vsusfructus* rei immobilis, siue in venditione, siue in donatione, siue in alia alienationis specie, non impedit, quo minus inuestiens laudemium exigat. Ampliatur ex casibus similibus. §. IV. *Qu. an præter eos casus, qui in Constitutione Honorii & Theodosii sigillatim occur- runt, ubi retentio *vsusfructus* pro traditione habetur, alii admittantur, an minus? aiens*

Sententia stabilitur §. V. Quid de Iure Saxonico? distinguendum inter rem mobilem & soli: a sententia Illustr. Wernheri redditur §. VI. dicta extenduntur ad retentionem usus: ubi quædam de differentia usus & ususfructus. §. VII. qu. an is qui sibi detinet usumfructum cautionem usufructuariam constituere teneatur? affirmatur in contractu oneroso, negatur in beneficio, suppeditatur exceptio §. VIII. Erat hæc cautio olim fidejussoria; secus hodie. Ab eo, qui sibi retinuit usumfructum, nisi aliter conuenerint, omnia obseruanda sunt, quæ alias usufructuario incumbunt. An is, qui retinet usumfructum aliquid possit mutare in melius? Explicantur atque conciliantur l. 7. in fin. l. 8. l. 13. §. 4. & 5. l. 44. l. 61. D. de usufr. & quemadmodum §. IX. Quid consensu proprietarii? l. 15. §. fin. D. eodem interpretatur. Nonnullorum ICtorum emendationes & explicationes adducuntur. Denique eum, qui sibi retinuit usumfructum re uti posse, non frui, nec tamen hoc ipso amittere usumfructum.

DE





*Q. D. B. V.*

DE

RETENTIONE VSVS  
FRVCTVS EIVSQVE  
EFFECTV.

§. I.

**F**undi dominum vsumfructum seu vtendi fruendi ius separatum a dominio, quo absorbetur, non habere, quum res propria nemini feruiat *l. 26. D. de seru. vrb. praed. expediti est iuris l. 5. pr. D. si vsumfr. petat.* Dominus enim in re sua facere potest ea omnia, quae vsumfructuarius & etiam multo plura: non tamen ea facit iure vsumfructus, sed iure dominii: vid. Joseph. Aueranii *Interpr. Iur.*

*Iur. Lib. I. cap. II. §. 10. p. 13.* Nihil tamen obstat, quo minus dominus aliis rei suae vsumfructum, dominii scilicet partem *l. 4.* *D. de usufr. & quemadm.* seu ius fundi *l. 70,* *§. 2.* *D. de fidei. & mandat.* concedat proprietatemque sibi reseruet, vel eandem tracto ac retento usufructu in alium transferat *l. 32.* *D. de usufr. & quemadm.* *§. 9.* *Inst. de legat.* *l. 82.* *§. 2.* *D. de leg.* *l. ibique V. C.* Ioh. van de Water *Obs. Iur. Rom. Lib. III. cap. X. pag. 305.* Etenim hoc facto ususfructus haecenus non ut dominii pars, sed seruitutis, ex tempore factae alienationis, recte consideratur *l. 25.* *D. de V.S.* Quum vero auctore Platone prima quæstio esse debeat de verbis, licet de rebus potior sit, priusquam ad rem ipsam me accingam non ab re erit, quid retentionis & ususfructus nomine intelligam, paucis præmisisse. *Vti & Frui*, vt minus & maius differre, quum usus necessitate circumscribatur; fruitio autem ad omnem etiam utilitatem voluptatemque pertineat, ac utrumque opponi abusui seu consumptioni *l. 5.* *D. de usufr. ear. rer. quæ usu*

*vſu consum. l. 29. Cod. de iur. dot. inter omnes  
constat: videsis M. Aur. Galuan. de vſufr.  
Cap. I. & Gerard. Noodt de vſufr. l. 1. Cap. 2.  
indeque facile liquet vſumfructum a Paulo  
in l. 1. D. de vſufr. recte definiri, quod fit  
ius rebus alienis vtendifruendi, salua earum  
ſubſtantia. Ad retentionem autem quod  
attinet, hoc vocabulo denotamus, quando  
nobis id, quod iam noſtrum eſt, ſeruamus:  
Sic quoque retinere hereditatem parentis,  
recte dicitur de his, qui non abſtinent l. 6.  
D. de reb. auſt. iud. poſſid. quia ſui ſeu dome-  
ſtici ſunt heredes, qui viuo quoque patre  
quodammodo domini intelliguntur & poſt  
eius mortem non tam hereditatem perci-  
pere, quam iam liberam bonorum admini-  
ſtrationem conſequi videntur §. 2. Inst. de  
hered. qualit. & differentia conf. Dn. Præ-  
ſidis Programma de ſubſidio Paterno lit. b. b.  
& retinere impenſas idem eſt ac ſeruare per  
retentionem l. 50. D. de hered. pet. Ex qui-  
bus ſua ſponte patet retentionem vſusfru-  
ctus eſſe conuentiōnem, qua quis rei cuius-  
dam*

B

dam

*dam proprietatem alteri concedit sibique  
vsumfructum, quem antea iam in illa re iure  
dominii habuit, reseruat.*

§. II.

Dixi retentionem vsumfructus *conven-*  
*tionem:* Nam pactionibus quoque & stipu-  
lationibus vsumfructus constitutur *l. 3. §. I.*  
*D. de vsufr. & quemadm.* modo eas infe-  
quatur quasi traditio, vti hoc satis corro-  
borauit Noodt *de vsufr. L. II. Cap. 2.* Ga-  
ium cum Vlpiano in *L. II. §. 1. D. de public.*  
*in rem aet.* concilians. Quid vero obtinet,  
si quis sibi retineat vsumfructum, anne tunc  
quoque traditione opus est? accurate hac  
de re iudicat Galuanus *de vsufr. Cap. 34.*  
*pag. 530.* tempore veterum ICtorum, ex qui-  
bus composita sint Digesta, iam fuisse rece-  
ptum, vt per retentionem vsumfructus, tra-  
ditio possessionis in adquirentem facta cre-  
deretur ad effectum transferendi domini-  
um, non modo in donationibus, sed etiam  
in dotis, venditionis, alteriusue alienationis  
caussa, in qua esset traditio necessaria. Et qui-  
dem

VSVSFRVCTVS EIVSQVE EFFECTV. II

dem hæc sententia hanc ob rationem mihi  
eo verosimilior videtur, quia Honorius &  
Theodosius in *l. 8. Cod. Theod. de donat.* in  
donatione & dotis datione contrarium, re-  
tentionem vſusfructus non instar traditio-  
nis esse debere, fancierunt, qui tamen  
post biennium in *l. 9. Cod. Theod. eod.* sen-  
tentiam suam pristino iure retento iterum  
immutarunt, quæ Constitutio etiam tan-  
quam posterior in Codice Iustinianeo, omis-  
sa priori, fuit retenta *l. 28. Cod. de donat.*  
cuius ipsa verba prout in Codice Theodo-  
siano deprehenduntur, quum iam dicta lu-  
culenter confirment & ea, quæ ad historiam  
spectant, in Codice Iustinianeo plane fue-  
rint prætermissa, adscribere non erit super-  
vacaneum: *Legis a nobis paulo ante latæ*  
*cetera quidem cautio necessaria nobis admo-*  
*dum visa est, sublata vero in donationibus*  
*species traditionis, quam olim retentio vſus-*  
*fructus induxerat, non sine magna ratione*  
*desiderata est, cum obseruationem iuris con-*  
*trahere potius, quam propagare debeamus.*

B 2

Ideo-

Ideoque ius pristinum renouamus, ut quisquis rem aliquam donando vel in dotem dando vsumfructum eius retinuerit, etiam si stipulatus non fuerit, eam continuo tradidisse credatur, nequid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio: Sed omnimodo idem sit in his causis vsumfructum retinere, quod tradere. Quam materiam a Gerardo Noodt Viro alias Iuris peritissimo in duobus libris, quos de usufructu scripsit plane prætermissam esse miror.

## §. III.

Quum vero constet, ordinarie traditionibus & usucaptionibus dominia rerum, non nudis pactis transferri l. 20. Cod. de pact. Azo hancce dispositionem ideo vnam ex mirabilibus mundi vocat teste Hotm. quest. Illustr. quest. XI. Sed præter rationem. Quemadmodum enim in quibusdam aliis casibus plane absque traditione transit dominium confr. Dn. Præsid. dissert. de Emption. vendit. & alienationis natura & different. ad. l. 67. D. de V. S. §. XV. seq. iure que

que Pandectarum propter commerciorum  
vtilitatem iam factae traditiones fuere rece-  
ptæ. *I. 43. §. 1. D. de iur. dot. I. 11. & 15. D.*  
*dere reb. cred. I. 72. D. de rei vind. Galuan. dict.*  
*loc. p. 530. & præsertim pactum de donando*  
inter coniunctas personas absque traditio-  
ne confirmatum fuit vid. Paul. *Lib. IV. sent.*  
*Tit. I. §. 11. iung. I. 4. Cod. Theod. de donat.*  
ita Imperatores quoque hac in parte Iuris-  
prudentiæ Naturalis præcepta secuti, qui-  
bus etiam sine traditione transit rerum do-  
minium, vt luculenter probat Illustr.  
Gribnerus in *Iurispr. Nat. Lib. IV. Cap.*  
*V. §. 3. p. 372. seq.* ac donationem inter  
omnes personas sine discriminè ex nudo pa-  
cto valere debere fancierunt, ita, vt tra-  
ditionis necessitas incumbat donatori, nisi  
vsumfructum rei donatæ sibi retinuerit;  
hanc ipsam enim retentionem pro traditio-  
ne habebant *§. 2. Inst. de donat. I. 35. §. 5. Cod.*  
*eod.* Nam cur quæso quis sibi retinet vsum-  
fructum, nisi vt hoc ipso sibi possidere desi-  
nat & aliis possidere incipiat? vid. Peretz

B 3

Præl.

*Prael. ad Cod. de donat. n. 25. & Dionys. Gothofred. in not. ad l. 28. Cod. cod.* Idque ipsum quum sit verum, consequens est, retentio-  
nem *vſusfructus*, siue in venditione, siue in  
donatione, siue in alia alienationis specie non  
impedire, quo minus in re immobili inve-  
ſtiens secundum Conſt. Nov. 1. laudemium  
in iis caſibus, vbi est receptum, exigat;  
quemadmodum idem in venditione præ-  
diorum, vbi quis ſibi referuat einen *Auszug*  
*am Gelde, Früchten, Wohnung auf Lebens-*  
*Zeit*, nec non de confuetudine Galliæ in  
feudis respectu releuii obtinere videmus  
vid. Molinæus *de confuetud. Galliæ* §. 33. gl.  
1. n. 154. seq. quamquam id alias a veris do-  
minis exigatur & proprietas demum, fi-  
cum *vſufructu* consolidetur, efficiat plenum  
ac verum dominium, antea vero ius ſepa-  
ratum a dominio ſit: l. 3. §. 2. l. 6. *D. de vſufr.*  
& quemadmodum. Rechte namque dicimus eum  
fundum totum nostrum eſſe, etiam cum  
*vſusfructus* alienus, quia *vſusfructus* non  
domini pars, ſed feruitutis ſit l. 25. *D. de V.S.*

§. IV.

§. IV.

Sed quum insignem effectum retentionis vſusfructus indicauerim, illam nempe pro traditione accipi, id quod hodieque seruatur, vid. Peretz *dict. loc. quæritur*, an præter eos casus, qui in dicta Constitutione Honorii & Theodosii sigillatim occurrunt, adhuc alii admittantur, an minus? v. c. datio in solutum, permutatio, quæ vicem venditionis obtinent: *l. 4. Cod. de evict. l. 2. D. de rer. permut.* quo circa ob paritatem rationis aienti sententiæ accederen nullus dubito, præsertim, quum huic Constitutioni iam verba *vel vendendo* in Codice Iustinianeq; a Triboniano fuerint apposita. Quamquam neque assentiar iis, qui verba *vel vendendo* accipiunt de omni alienatione, ut Galuanus *de vſufr. cap. 34. p. 531. ob l. 29. §. 1. D. de stat. liber.* ad quam vid. V. V. C. C. Joan. van de Water *d. l. Lib. III. Cap. 4.* & Guil. Best. *de ration. emend. leg. Cap. 25. n. 8. p. 266. seq.* quum illa pro plane singulari, respectu statu libero-rum, sit habenda vid. *dict. diff. Dn. Praefid.*

§. IV.

§. IV. neque iis, qui cum Iacobo Gothofredo ad dict. leg. 8. & 9. Cod. Theod. T. I. p. 622. statuunt, in venditione sola præter donationem & dotis dationem huic fictioni locum quandoque esse posse, si scilicet ita rem vendat alicui, ut sibi usumfructum retineat, vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus, sed in aliis contractibus id nunquam evenire posse; contrarium enim iam eiusdem dedi; sed potius donationem dotis dationem & venditionem solummodo exempli loco & Synecdochice positas esse putem, ita ut Iustinianus hisce omnem omnino alienationem comprehendat.

## §. V.

Ad Ius Saxonicum autem quod attinet, videndum, an res, in quibus retinetur ususfructus, sint mobiles, an immobiles: in prioribus dispositio Juris Civilis Romani, cum nulla contraria extet, merito obtinet a. l. 27. Cod. de testam. præterquam in donatione Geradæ vid. Illustr. Wernheri Obs. For. Part. I. Obs. CCLXXIII. pag. 526. respectu huius

huius enim in *Constitut. Electorali XIV.*  
*P. II.* expresse sancitum, vt post factam tra-  
ditionem res donatas vel claves cistarum  
donatarius restituat: *vnd in allen Fällen*  
*mag die donatrix ihr den vsum vnd Ge-*  
*brauch auf ihr Leben fürbehalten, wel-*  
*ches also geschehen kan, das nach der tra-*  
*dition der donatarius ihr die donirten*  
*Stücke oder die Schlüssel darzu wieder*  
*zustelle:* In posterioribus autem, scilicet  
in rebus immobilibus secus res se habet, si-  
quidem ne per priuatam rei immobilis tra-  
ditionem teste Carpz. *P. 2. Conſt. 39. d. vlt.* mul-  
to minus per retentionem vſusfructus, quæ  
modo pro traditione habetur, dominium  
transfertur. Vnde etiam ab Ampliss.  
Wernheri sententia recedere cogor, qui  
*dict. loc.* eum, qui vſumfructum ſibi reti-  
nuerit, facultatem amplius non habere au-  
tumat, eandem alteri vendendi, eoque, vt vel  
maxime id de facto ausus fiterit eamque em-  
tori iudicialiter tradiderit, accedente etiam  
in Saxonia resignatione iudiciali, non ta-

C  
men

men quicquam iuris in emtorem transiisse videri: continuo enim ex quo aliquis rem alteri vendiderit , aut donauerit, retento vsufructu, rem alterius fieri ccepisse & dominium non secus, atque si actu illa tradita fuisset, translatum esse & eundem in modum quoque posteriori emtore, non reputata traditione & resignatione iudicali,priorem, cui res, vsufructu retento, vendita sit, potiorem esse *Ord. Vitemb. Mens.Oct. 1696.* respondisse: Sed meo quidem iudicio hæc de Iure Ciiali Romano, non vero Saxonico ita procedunt ; nam ante resignationem & iudicialem traditionem rei venditæ dominium apud venditorem manet & res pro vendita, sed nondum alienata habenda est vid. *dict. Diff. Dn. Präsid. ad l. 67. D. d. V. S.* vbi in fine præiudicium inuenies. Vnde emtori quoque solummodo personalis ad Interesse propter ruptam fidem contra venditorem actio competere videtur *l. II. Cod. de Act. Emt.*

§. VI.

## §. VI.

Ea vero, quæ dixi de vsufructu, merito quoque de retento vsu accipiuntur. Quamquam enim inter vsumfructum & vsum aliquando magna v. g. in prædiis rusticis §. 1. Inst. de vsu & habit. l. 12. §. 2. D. de vsufr. l. 10. & l. 14. §. 1. D. de vsu & habit. aliquando minor in prædiis yrbaniis §. 2. Inst. de vsu & habit. l. 7. D. eod. aliquando nulla plane v. c. in pecunia numerata, aut re fungibili l. 5. §. vlt. & l. 10. D. de vsufr. ear. rer. intercedat differentia, nihilominus in iure ordinarie valet regula, nudum vsum iisdem modis constitui & finiri, quibus & vsusfructus constituitur & finitur l. 3. §. 3. D. de vsufr. & quemadm. l. 1. §. 1. D. de vsu & habit. Vnde is quoque, qui concedendo proprietatem sibi detinere intendit vsumfructum, sollicitus sit, vt clare exprimat mentem suam, præsertim in vernacula nostra lingua, hunc in modum: *vnd behält sich donatrix den Niesbrauch v. g. der Gerade auf Zeit ihres Lebens vor, neutiquam vero den Gebrauch*

C 2

nudum

nudum vsum, dum hoc solummodo reten-  
to, donatrix hac equidem pro se potest vti,  
minime omnium autem aliis ius, quod ha-  
bet, aut locare, aut vendere, aut gratis con-  
cedere: quum tamen is, qui vsumfructum  
habet, possit hæc omnia facere *§. 1. Inst. de*  
*vſu & habit. conf. Cl. van de Water dict.*  
*loc. Cap. XI. p. 211. seq.* vti hoc quoque ac-  
curate obseruauit B. Barthius *von der Gera-*  
*de Cap. V. §. 33.* vide tamen Schilt. *Exercit.*  
*XVII. §. 62. p. 88.* vbi Iure Germanico vix  
differentiam inter vsumfructum & vsum ob-  
seruari tradit: quum tamen fructum *den Ge-*  
*brauch, vsum die Nutzung oder den schlech-*  
*ten Gebrauch ab vſufructu den Nies-*  
*brauch vel Geniesbrauch sedulo discernere*  
*debeamus, licet fructum den Gebrauch & v-*  
*sumfructum den Niesbrauch pro Synonymis*  
*sæpius accipi concedamus; quemadmodum*  
*quoque Vlpianus proprietatis verborum pe-*  
*ritissimus, hæc verba ita accepit in l. 14. §. 1.*  
*D. de vſu & habit. inter vsumfructum, ait, &*  
*fructum nihil interest, nam fructui & vſus in*  
*est;*

VSVSFRVCTVS EIVSQVE EFFECTV. 21

est; vſui & fructus deſt & fructus quidem  
ſine vſu eſſe non poſteſt, vſus ſine fructu poſteſt.

§. VII.

Cum autem ab vno quoque vſufructua-  
rio ſit præſtanda cauſio, ſive mobilis res ſit,  
ſive ſoli l. i. §. i. D. vſufruct. quemadm. cau. l.  
i. & 4. Cod. de vſufr. & vſurum ſe boni viri  
arbitratu & cum vſusfructus ad eum perti-  
nere deſinat, reſtituturum, quod inde ex-  
ſtabit, d. l. i. pr. D. vſufr. quemadm. cau. quæ  
duæ ſtipulationis cauſſæ vocantur in d. l. §. 6.  
i.e. duo capita, vt in l. 5. §. i. D. iudic. ſolu. qui-  
bus & illud dolum malum abeffe abſutu-  
rumque eſſe continentur l. 5. pr. D. vſufr.  
quemadm. cau. queritur, an etiam is, qui ſibi  
retinet vſumfructum, ad hanc cautionem  
adigi poſſit? Quo circa diſtinguendo reſpon-  
dendum eſſe ceneſeo, ſcilicet, vtrum hæc re-  
tentio facta fuerit in contractu oneroſo a.  
l. 13. pr. D. de vſufr. vid. Illuſt. Berg. Oecon.  
Iur. L. II. T. III. §. XIX. not. 2. p. 318. an in  
benefico, in priori caſu generalis regula cau-  
tionem exigi poſſe valet; in posteriori con-

C 3

tra-

trario iure utimur , partim , quia officium suum nemini debet esse damnosum l. 7. D. quemadm. testam. aper. ac ne quis ex liberalitate propria vexetur , partim cum placuerit generaliter , eos , qui ex liberalitate conueniuntur , non ultra id , quod facere possunt , damnandos esse l. 28. D. de R. I. l. 19. §. 1. D. de re iud. & denique quia insuper cum donatore non tam rigide atque quidem cum aliis agendum est , l. 62. D. de Ædil. Edict. I. 49. D. de re iud. nisi donator vel donatrix de rebus donatis quasdam aliis vendat , aut alia ratione alienet , aut dolose deteriores reddat : nam de dolo donator obligare se & debet & solet , ne quod benigne contulerit , fraudis consilio reuocet d. l. 62. D. de Ædil. Edict. I. 18. §. fin. D. de donat. Vnde quoque apud nos donatrix sibi reseruans vsumfructum Gera- dæ , præterquam in dictis casibus , cautionem vsumfructuariam præstare haut tenetur : secus tamen res se habet , si vxor marito geradam vendiderit , reseruato eius vsumfructu , eo enim in casu vxor marito eiusdemque here- dibus

dibus ad præstandam cautionem vsufructua-  
riam est obstricta l. 7. pr. D. vsufr. quemadm.  
cau. conf. Ill. Berg. dict. loc.

§. VIII.

Et quidem hæc cautio olim præstanta  
erat datis fideiussoribus, siquidem præatoria  
erat l. 1. D. vsufr. quemadm. cau. l. 7. D. de  
præt. Stipul. id, quod hodie tamen non ob-  
tinet vid. B. Menck. dict. loc. p. 219. quemad-  
modum iam de Iure Ciuiti Romano, si fide-  
iuſſores inueniri nequeant, pignoribus, sed &  
his deficienibus, iureiurando quandoque  
caueri posse videtur auth. generaliter Cod.  
de Episc. & Cler. l. 9. §. 3. D. de pignorat.  
action. confer. Celeberr. Corn. van  
Eck. ad Tit. Dig. vsufr. quemadm. cau. §. 4.  
p. 271. Licet autem in genere eos immunes  
a cautione & non tam rigide cum illis agen-  
dum esse dixerim, qui ex liberalitate do-  
nandique animo deducto vsufructu pro-  
prietatem alteri concedunt, hi ipsi tamen  
quoad reliqua omnia obseruare debent, quæ  
alias vsufructuario incumbunt. Quamquam  
enim

enim officia grati animi exigant, vt dona-  
tori lubenter concedatur, quo liberius in re  
donata, in qua sibi reseruauit vsumfructum,  
agat, quam alias vsumfructuarius; attamen,  
si ab initio non ita conuenerint, hæc postea  
voluntatis & officii magis, quam necessita-  
tis sunt, vt Paulus inquit. *I. 17. §. 13. D. com-  
mod. vel contra & latius hac in parte officio-  
rum patet, quam iuris regula Seneca Lib. II.  
Cap. 27. de Ira* Imo de iure stricto, etiam  
contra communem iuris regulam, *natura-  
lem pariter ac ciuilem rationem suadere, alien-  
nam conditionem meliorem quidem, etiam  
ignorantis & inuiti nos facere posse, deterio-  
rem non posse* *I. 39. D. de neg. gest. tanquam  
vsumfructuarius, ne quicquam potest mutare,*  
*ne quidem in melius* *I. 7. in fin. & I. 8. D. de vsum-  
fr. & quemadm.* nec in vsumfructu ædium cœ-  
pta perficere *I. 61. D. eod. ad quam vid. Huber.*  
*in Eunomia Roman. ad Lib. VII. Pand. p. 336.*  
namque semper recurrentum est ad defini-  
tionem vsumfruct. vbi verba *salua substantia*  
modum & officium fructuarii indicant vid.  
Ampl.

Ampl. Euerard. Otto in *Not. Crit. ad Inst.* p. 208. Vnde abunde constat, nec nouum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere posse, quia, tametsi meliorem, excolendo ædificium domini caussam facturus esset, non tamen id iure suo faceret, aliud enim est tueri, aliud nouum facere l. 44. *D. de vſufr. & quemadmodum & aliud est facere, aliud reficere l. 3. §. 15. seq. D. de itin. ac tuque priuat. & ad hanc quoque tuitionem seu potius refectionem ædium e præcedentibus & sequentibus cum Hubero dicit. loc. p. 338. haut immerito refero l. 7. §. vlt. D. eod. in qua etiam inuitio proprietario reficiendi potestas conceditur vſufructuario: Et denique si quis vſumfructum fundi habeat, potest equidem proprietatis caussam meliorem facere quoad vſum rei; ita tamen, ne noceat agriculturæ l. 13. §. 5. D. eod.*

§. IX.

Consentiente autem proprietario, quin omnia in fundo facere possit is, qui sibi retinuit vſumfructum nulla dubitatio est l. 2. D.

D

dc

*de manumiss. vind. l. i. D. Comm. de manumiss. l. 8. & 9. §. 2. D. de Aqua & aquæ pluu. vtriusque enim caussa solummodo agitur neque alterius cuiusquam & quilibet iuri pro se introducto renunciare potest l. pen. Cod. de paet. vnde miram nec vsu fori receptam decisionem vocat Sam. Strykius VS. Mod. Pand. Lib. VII. Tit. i. §. 7. p. 39. quam dedit Vlpianus in l. 15. §. fin. D. de usufr. proprietatis dominum nequidem consentiente usufructuario seruitutem impone-re posse: Dignamque animaduersione cen-suerunt Eruditissimi Iuris Interpretes, qui partim eam emendare, partim interpretari allaborauerunt. Præfertim Vlr. Huberus in Eun. Iur. p. 329. qui alias violenta manu plane abhorret, pro ne quidem substituens non nisi, quæ admodum dura est emenda-tio; mitior Celeberr. Corn. van Eck in Dissert. Vltrai. 1697. b. & ad Digest. ad Tit. de usufr. & quemadm. p. 264. pro nequidem legentis equidem notatus igitur ab Ampl. Corn. van Bynkersh. Lib. I. obs. I. Rom. cap.*

cap. XI. qui olim eius auditor fuerat, & traiectis nonnullis vocabulis, legit, proprietatis dominus seruitutem imponere potest; euidem consentiente fructuario, nisi qua &c. Explicare autem eam fuere annisi M. Aurel. Galuanus de vſufructu Cap. 35. n. 6. Gerard. Noodt. de vſufr. L. I. Cap. XV. p. 421. sequ. Maſtertius de Iuſt. Rom. Leg. L. II. dubit 37. p. 318. nec non Reinoldus in variis ad I. Ciuil. pertinent. cap. XVI. p. 128. vbi Vlpianum & Paulum ita interpretatur: Proprietatis dominum, ne consentiente quidem fructuario h. e. quamuis is haut consentiat, fundo seruitutem imponere posse & addi ex Paulo, nisi eam, qua fructuarii conditio non fiat deterior: atque ita Vlpianus nos vterius non morabitur, sed haec haſtenus; reliqua enim, quomodo nempe v. g. is, qui ſibi retinuit vſumfructum, re vti & frui poſſit ac debeat, ac quænam onera in ſe recipere teneatur, silentio prætero, quum in Compendiis ad Digesta copioſe tradantur, hoc

28 DE RETENTIONE VSUSFRVCTVS &c.

vnicum addens, eum, qui sibi retinuerit  
vsumfructum, licet re solummodo vtatur,  
non fruatur, hoc ipso tamen non amittere  
vsumfructum ita, vt deinceps re vltierius  
frui haut possit. Sic namque e. c. pater,  
qui filio, retento vsufructu, vendiderit, aut  
donauerit domum suam & per longum  
temporis spatium solus eam inhabitauerit,  
postea eandem adhuc & aliis, si libuerit, lo-  
care & gratis concedere poterit, siquidem  
per communem Iuris regulam, *si sciens se*  
*vsumfructum habere, tantum uti velit,*  
*nihilominus & frui videtur l. 20. D. quib.*  
*mod. vsusfr. conf. Noodt. de vsufr.*

*L. II. cap. VIII. p. 458.*

Tantum!



**ULB Halle**  
003 074 420

3



Sb.





B.I.G.



DISPVTATIONEM  
IVRIDICAM  
DE  
RETENTIONE VSVS.  
FRVCTVS EIVSQVE  
EFFECTV,  
MAGNIF. ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
P R A E S I D E  
ANDREA FLORENTE RIVINO  
PHILOS. ET J.V. DOCT.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT  
AVCTOR RESPONDENS  
IO. GOTTFRIED NEVMANN  
MARTISBURGENSIS.  
D. XVII. AVGVSTI cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> cc XXX. H. L. Q. C.

LIPSIAE  
LITERIS BREITKOPFIANIS.

